

D filum centri mundi super medium Lunę motum in orbe signorum, sub quod ducito A centrum epicycli, quod ita inuariatū fac permaneat, reiecto D filo. ¶ Quinto, protrahe κ filum super A centrum epicycli, augem etiam eius, quæ est duodecimū signum epicycli, sub idem ducendo, quæ sic immota custodi. ¶ Sexto, duc A filum epicycli super argumentum Lunæ in orbe epicycli, & super interfectionem eius, cum uero epicycli orbe ducatur filum D mundi, quod in orbe signorum uerum locum Lunæ indicat. Vt, medij motus Lunæ tempore dato sunt hi:

	S.	G.	M.	S.
Medius motus Lunæ.	1	15	23	49
Argumentum medium Lunæ.	6	9	18	52

Medium igitur Solis subtraho à medio motu Lunæ, residuumq̃ duplo, ut proueniat centrum Lunæ medium.

	S.	G.	M.	S.
Medius motus Lunæ.	1	15	23	49
Medius motus Solis.	10	5	21	42
	3	10	2	7
Centrum medium Lunæ.	6	20	4	14

Hoc demum subtraho ex medio Lunæ, ut producatu aux eccentrici lunaris.

	S.	G.	M.	S.
Medius motus Lunæ.	1	15	23	49
Medium Lunæ centrum.	6	20	4	14
Aux eccentrici Lunar. is.	6	25	19	35

¶ Augem eam numero in orbe signorum, & augem eccentrici sub eam duco, rotulamq̃ deferentis augem ita immobilē custodio. Deinde protraho filum D supra motum Lunæ medium in orbe signorum, & sub id dirigo centrum A epicycli, dimisso deinceps D filo, κ filum supra centrum A epicycli pono, & sub id duco augem eius. Hos æquatorij orbes sic immobiles seruo, postea A filum epicycli Lunæ pono super argumentum eius medium, ac postremo D filum super interfectionem fili A, cum uero orbe epicycli protraho, quod in Zodiaco uerum locū Lunæ in 16 Tauri nonæ Sphæræ indicat, super meridianum Babenbergensem. Cumq̃ argumentum Lunæ sit in inferiori arcu epicycli, uelox motu erat tempore dato.

d in EQVA